





XXXIII.

14

1743, 2

FACVLTATIS IVRIDICAE  
DECANVS,  
**HENRICVS MELCHIOR  
SCHÜTTE, JCVS,**  
MEMORATÆ NEC NON PHILOSOPHICÆ FACVLTATIS  
ASSESSOR ET PROFESSOR POLITICES PVBL.  
ORDINARIVS,  
**LECTORI BENEVOLO**  
S. P. D.

---

ERFORDIAE,  
Typis JOH. CHRISTOPHORI HERINGII,  
Acad. Typogr.

*relentianis. De*



FACULTATIS IURIDICAE

DECAVVS

HENRICVS MENCHOR

SCHOTTEN

LEMBRANNE M. D. CC. LXXV. IURISCONSULTVS ET  
ASSessor ET PROFESSOR IURIS IURIS  
ORDINARIVS

LECTORI BENEVOLO

S. P. D.

ERRATA

DR. JOH. CHRISTOPH. HERINGII  
HALL. TYPOG.







**S**ilentium describi solet, quod sit virtus tacendi, & non revelandi ea, quæ fidei alicujus sunt commissa, aut quæ salva conscientia, & sine detrimento alterius revelare opus non est. Veteribus sibilus ST. nota erat imperantis silentium, S. enim jubet, ut sileas, T. jubet, ut taceas. JUST. CHRIST. IDEN. *tractat. jur. de jure silentii §. 2. ac JAC. KOCKERT. in ind. & Collect. in Terent:* imo ipsam literam S. vocis compressionem mandatam indicare, & nomen hoc *silentium* non absque mysterio in UM formatum esse, non nulli sibi persuadent. JAC. FRIDER. LVDOVICI *in præfam. dissertat. de impost. silentii.* Alias vero silentium manu indictum fuisse, docent nos *Acta Apostolorum c. 12. comm. 17. & c. 13. comm. 16.* de quo more conferri poterit WOLF. *in cur. philolog. ad loc. prior. cir. Aegyptii* quoque in sacris Isis & Serapidis Harpocratem, simulacrum, quod digito labiis impresso, silentium præstandum esse admonebat, ceu Deum silentii adorarunt, ALEXANDER AB ALEXANDRO *libr. 3. Genial. dier. c. 59:* ac Numa Pampilius, Rex Romanorum, Deam silentii Angeronam inter tutelares coluit, teste MACROBIO, *Libr. III. Saturnal. cap. IX.* JO. FRIDEMANN. SCHNEIDER *de philosophia silentii §. 6.* Quamvis vero silendi tempus sit, & sit loquendi *Ecclesiastis c. 3. comm. 7. &*



summum Numen nobis duas aures, ac unicam saltem linguam concesserit, ut plura audire, quam loqui debeamus; nullam tamen difficiliorem, quam silentii virtutem credidit *QVINTILIANVS Declamat. XIX.* A silentio nomen acceperunt Silentiarum, qui curam habebant, ne quis in Principis palatio strepitus excitaretur, & ut silentium servaretur. Hi plures erant, sed XXX. ordinarii in tres decurias divisi, quorum singulis decem unus decurio præerat. *GVID. PANCIOROLL. Commentar. in notit. dignitat. utriusque imper. c. LXII.* Fuerunt enim decuriones Cubiculariorum, decuriones Silentiarum & decuriones Larum *JACOB. GVYHER. de officiis domus Augustæ publ. & priv. libr. III. cap. XXIX. pag. edit. Lips. 803.* Sententiam vero *JAC. GOTHOFREDI ad l. ult. Cod. Theodos. de Decurionibus & Silent.* quod hastati fuerint Silentiarum, in dubium vocat vir celeberr. *SIM. PETR. GASSERVS Prælect. ad Cod. Justin. ejusque titulos, qui in Digestis non continentur, libr. 12. tit. 16.* Ea fuit Silentiarum prærogativa, ut a tutelis excusarentur: a præstatione tironum & equorum fuerint immunes: eorum liberi honestati Comitativa primi ordinis, vel dignitate Tribunorum non agnoverint onera Præturæ, tanquam Senatorum filii. Domus quoque eorum ab omni hospitum inquietudine liberæ fuerunt: illi ab omnibus sordidis muneribus immunes, ad Comitatum Principis ire potuerunt sine evocatoria. Quid? quod Anastasius, qui nondum ad Senatorium ordinem ascenderat, sed solum scholæ Silentiarum adscriptus erat, ad Imperium evectus est *JAC. GVYHER. l. c. p. 804. sq.* Ceterum cum *GEORG BEYERO Notit. Autor. Jurid. & juris arti inservient. Spec. II. p. 23. sqq.* doleo, quod hoc



hoc scriptum GVtherii tribus libris comprehensum  
vix quadrantem operis, quod doctissimus auctor molit-  
us est, conficiat. Plena manu privilegia Silentiaris  
eorumque Decurionibus data, quæ GVtherius car-  
ptim breviterque perstrinxit, recenserem, nisi mihi  
otium facere constituisset

NOBILIS ATQVE CLARISSIMVS  
JVRIVM CANDIDATVS,  
D O M I N V S

BERNH. FRIDER. RVDOLPH.  
LAVHN,

*Aulæ ac Regininis Saxo-Vinariensis Advocatus  
Ordinarius,*

qui privilegia ista ad unum omnia, ex Codice Theodo-  
siano pariter ac Justiniano collecta, lectione cursoria  
enarraturus est. Ubi hic sit natus, qua ratione educa-  
tus, sub quibus in literis & legibus profecerit, com-  
memorare fas est. Lucem primum adspexit Vinariæ,  
mense Majo anni hujus seculi duodecimi. Patrem  
veneratur Dominum CHRISTIANVM RVDOLPHVM  
LAVHNIVM, Serenissimi Ducis Saxo-Vinariensis ne-  
gotiorum, quæ ad Politiam spectant, Consiliarium,  
matrem vero FRIEDLENAM MARGARETHAM, JO. SE-  
BASTIANI MÜLLERI, qui Sereniss. Duci Saxo-Vina-  
riensi ab epistolis secretis & feudalibus fuit, ac tabula-  
rio Ducali præfuit, filiam natu minimam, sibi præma-  
tura morte ereptam maximopere luget. Præceptoribus  
usus est domesticis, iisdemque Philosophiæ Magistris,  
JO. DAN. WEIMARO, OERTELIO & CONRADI, quom-  
rum



rum ille & iste verbi divini ministrorum, hic vero Re-  
ctoris munere in schola Oldruffiensi nunc fungitur,  
nec non multum M. ERDWIGII, jam Pastoris & Adjun-  
cti Osmanstadiensis, privatae institutioni se debere,  
profitetur. Cum annum ætatis decimum septimum  
attigisset, Jenam se contulit, ac in litteris elegantiori-  
bus, KROMAYERVM, in philosophicis LEHMANNVM,  
& in Institutionibus Justinianeis DITHMARVM, idoneos  
nactus est duces. Mox domum reversus, sub auspi-  
ciis viri clarissimi, JO. HENR. ACKERI, Gymnasii At-  
tenburgensis quondam Directoris, prælectiones aca-  
demicas repetiit, HARTVNGII Metaphysicam juridi-  
cam, HEINECCII philosophiam instrumentalem & præ-  
cticam, nec non institutiones Justinianas a MYLIO in  
nucleum redactas, sibi cognitatas ac perspectas reddidit.  
Exacto semestri spatio, denuo Academiam Salanam in-  
gressus, collegiis Logicis REVSCHII, Metaphysicis  
STELLWAGII, mathematicis HAMBERGERI & Consilia-  
rii legationum FRITSCHII, juris naturæ HEIMBURGII  
& BECKII interfuit. Inprimis vero virorum celebra-  
ratorum, Professoris HEIMBURGII in Heineccii Ele-  
menta juris Civilis secundum ordinem Institutionum  
& Pandectarum, ac Consilarii aulici BECKII in Struvii  
Jurisprudentiam Romano-Germ. for. nec non in Schil-  
teri jus Canonicum & Strykii jus Feudale, scholas fre-  
quentavit. Nec minus viros præstantissimos, Consilia-  
rium aulicum BVDERVM in jus publicum & historiam  
imperii pragmaticam, ac ENGAVYM in Pertschii jus  
Canonicum commentantes audivit. Multum etiam  
ex recitationibus clarissimorum juris Doctorum, MO-  
TERI, in universonum jus, ac lectionibus privatissimis  
SCHMI-



SCHMIDII in Fleischeri Institutiones juris Feudalis, se profecisse, grata agnoscit mente. Tantis instructus subsidiis, ingenii felicitis monumenta *de retractus gentiliis origine*, item *de recursu ad Comitia* edidit, & alia habet opuscula affecta ac pene confecta, quæ digna sunt, ut publici juris fiant. Hæc merita Candidati nostri tantam Sereniss. Patris patriæ gratiam ipsi conciliarunt, ut eum in Aulæ ac Regiminis Advocatorum numerum cõoptaret, & unum alterumque ordinis equestris induxerunt, ut ipsi jurisdictionis administrationem demandarent. Tandem paucis abhinc diebus, minime ambitione quadam adductus, sed unice iustionibus Serenissimi gloriosissime Regentis Vinariensis atque Isenacensis, DOMINI, DOMINI ERNESTI AVGVSTI, Patris patriæ clementissimi & reliqua, submissime obtemperaturus, apud nostrum ordinem nomen suum est professus, ac ut ad rigorosum admitteretur examen, modeste petiit. Locum dedimus votis honestissimis, ac textus ex utroque jure tam Canonico quam Civili, cum eo communicavimus, quos docte non solum resolvit & enodavit, sed & in ipso examine ubique talem se nobis probavit, ut omnium gratulabundorum suffragiis longe dignissimus iudicatus fuerit, cui cathedra juridica aperiretur, & summi in utroque jure honores in præmium tantorum feliciter exantlatorum laborum, & strenam, decernerentur. Ea de causa, crastina luce, recitatione solenni, quam lectionem cursoriam vocant, in ipsas leges *Cod. de Silentiar. & Decurionib. eor.* quæ privilegia illis concessa exhibent, commentabitur, ac Dissertationem inauguralem, tersam illam, elegantem & multo eruditionis adparatu conscriptam,

FLO-



FLORVM SPARSIONEM AD RVBRVM  
TITVLI COD. THEODOSIANI ET IUSTINIANEI  
DE SILENTIARIIS ET DECVRIONIBVS EORVM

exhibentem, quod argumentum sane nobilissimum nemo eruditorum adhuc ex instituto excutere occupavit, a dissentientium dubiis, strenue, & quidem sine Praeside, vindicabit. Quos actus solemnes, ut Magnificus Dominus Academiae Rector, nec non reliqui Academiae Proceres ac cives, honorifica sua praesentia illustriores ac splendidiore reddere velint, & meo & ordinis nostri nomine, ea, qua par est, observantia & humanitate, oro rogoque. Publ. sub Sigillo Facult. Jurid. ipso Festo circumcissionis Servatoris nostri A. O. R. M DCC XLIII.





ERfurt, Diss., 1742/44


ULB Halle  
005 355 400

3



W078









XXXIII,  
14

1743, 2

FACVLTATIS IVRIDICAE  
DECANVS,  
HENRICVS MELCHIOR  
SCHÜTTE, JCVTS,

MEMORATÆ NEC NON PHILOSOPHICÆ FACVLTATIS  
ASSESSOR ET PROFESSOR POLITICES PVBL.  
ORDINARIVS,

LECTORI BENEVOLO  
S. P. D.

---

ERFORDIAE,  
Typis JOH. CHRISTOPHORI HERINGII,  
Acad. Typogr.

*silentiaris. De*

